

839.

1407 d. 29 Maj. Vadstena kloster.

Johannes Schutte, notarius publicus, intygar: att vadstena-munken Thornerus Andreæ, på tillfrågan af magister Fredericus Trast, kanik i Åbo och biskop Magni procurator, upplyst att konung Magnus (Eriksson), vid sin återkomst från Ryssland, skänkte klostret Padis patronatsrätten till Borgå kyrka med underlydande kapell i Åbo stift, hvartill dåvarande biskopen i Åbo, Hemming, äfven gaf sitt bifall under vilkor, att konungen skulle grundlägga tvenne kanonikat vid domkyrkan, som äfven skedde medelst anslående dertill af två landtgårdar i Tessjö; att dessa gårdar reducerades sedermera af ridd. Nils Turesson och höfdingen på Viborg, Sune Turesson, hvarefter biskopen å sin sida återkallade nämnda patronatsrätt och öfverlät Borgå kyrka jemte Sibbas kapell till den äldste åbo-kaniken Olaus Jacobi och Perno kapell till herr Andreas i Perno; samt att biskop Hemmings efterträdare, magister Johannes Petri, återkallade till klostrets förmån berörda rätt, men öfverlät kyrkan med kapellen till herr Johannes Amberni Gran, som i 12 år innehade den utan att till klostret lemna någon årsafgift, intill dess att sistnämnde biskops efterträdare, Johannes Westphal, lät på drotset Bo Jonssons förbön klostret komma i fullt åtnjutande af patronatsrätten och förflyttade presten Johannes Amberni till Hattula kyrka i Tavastland.

Afskr. i Reg. Eccl. Aboens. (Svartboken), tillh. K. Bibl., fol. 74 v.—75 v.

In nomine Domini amen. Anno a natiuitate eiusdem mcdvij^o, indiccione decima, die xxix mensis Maii, hora sexta vel quasi, in locutorio fratrum monasterii sancte Marie et Birgitte in Vatzsteno, ordinis sancti Augustini sancti Saluatoris nuncupati, Lincopensis dyocesis, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum presencia personaliter constitutus venerabilis ac circumspectus vir magister Fredericus Trast, canonicus Aboensis, procurator reuerendi in Christo patris et domini, domini Magni, Dei et apostolice sedis gracia episcopi Aboensis, et procuratorio nomine, vt asseruit, religiosum ac deuotum virum, fratrem Thornerum Andree, professum dicti monasterii Watzstenensis, in verbo veritatis et sacerdocii tam seriosis quam humilibus instancius requisiiuit ac requisito instancius supplicauit, vt, remotis dolo et fraude, fauore, odio uel timore, meram, simplicem et nudam, quam sciret de et super infrascripto negocio solo veritatis intuitu diceret veritatem, ipsius super hoc conscienciam onerando, quum dictus frater Thornerus sponte et libere, non coactus nec vlla doli uel fraudis machinatione vt dixit circumuectus, respondit in hec verba uel eis in effectum similia, ipsumque infrascriptum se dixit in talium verborum veritate a suis senioribus accepisse, quando, inquit, rex Magnus reuertebatur de Rucia dedit dominis abbati et conuentui pro tempore existentibus monasterii Padis, ordinis Cisterciensis, Reualiensis dyocesis, et realiter assignauit juspatronatus ecclesie parochialis Borghaa suarumque cappellarum Aboensis dyocesis, accedente ad hoc speciali beneuolencia et consensu reuerendi patris domini Hemingi, tunc episcopi Aboensis, felicitis memorie, qui simili modo ad importunas instancias dicti domini regis eisdem abbati et conuentui iura temporalia et spiritualia prefatarum ecclesie et cappellarum contulit et vniuit, talibus nihilominus in huiusmodi negocio seu condicione et moderamine adhibitis et seruatis, quod prelibatus dominus rex in ecclesia cathedrali Aboensi duas canoias fundaret, quas et fundauit per colonias regias in Tessia et alias colonias, de quarum nominibus dictus frater Thornerus dixit se non recordari, easque dictis canoniis applicauit ad diuini cultus augmentum perpetuo duraturas; tandem vero, dictis coloniis per officiales domini regis Alberti, prefati domini Magni immediati successoris,

videlicet dominum Nicolaum Thuresson militem et Sunonem Haquonsson, tunc capitaneum castrum Wiborgh, auctoritate regia reuocatis dictisque canonibus cassatis et in irritum retractatis, prefatus dominus episcopus Aboensis prefatas collationem et unionem dictis abbati et conuentui sic per eum ut premittitur factas cassauit, irritauit et modo simili reuocauit et, dimisso eis dumtaxat dicto iure patronatus seu presentacionis prelibato, idem reuerendus pater dominus episcopus Aboensis dictam ecclesiam Borghaa cum cappella Sibba venerabili viro domino Olauo Jacobi de Vlsby, tunc seniori et potiori canonico Aboensi, cappellam vero Perna domino Andree dicto de Perna, auctoritate ordinaria contulit eis curam et administracionem in spiritualibus et temporalibus assignando; mortuo tandem dicto domino Hemingo, episcopo Aboensi, successor eius immediatus magister Johannes Petri, nacione Arosiensi in Swecia, postquam etiam confirmatus episcopus Aboensis, omnia iura dictarum ecclesiarum, tam in temporalibus quam in spiritualibus, reuocauit dictis abbati et conuentui de Padis, nullo penitus reseruato, conferens ipsam ecclesiam Borgha cum dictis suis cappellis cuidam domino Johanni Amberni, dicto Gran, qui easdem ecclesiam et cappellas per xij annos vel quasi continue rexit et possedit pacifice et quiete, sine omni solucione seu annua pensione dictis abbati et conuentui aut alteri eorum nomine facienda; mortuo autem dicto magistro Johanne Petri, episcopo Aboensi, superueniens dominus Johannes, dictus Westfal, tunc episcopus Aboensis, ad inportunas instancias Boecii Joanson, tunc dapiferi Swecie, de mera gracia predicta iura dictorum ecclesie Borgha et cappellarum suarum prelibatis abbati et conuentui de Padis restituuit donec ea ipse uel successor eius duceret reuocanda, transferens dictum dominum Johannem Amberni de ipsa ecclesia Borgha ad ecclesiam curatam Hattala in Tauastia, super quibus omnibus et singulis dictus magister Fredericus procuratorio nomine, quo supra, fieri sibi petiit per me notarium infrascriptum vnum uel plura instrumentum publicum seu publica instrumenta. Acta sunt hec anno, indiccione, die, mense, hora et loco supradictis, apostolica sede vacante, presentibus ibidem venerabili et religioso viro domino Stenone, abbate monasterii sancti Michaelis, vocatis specialiter et rogatis(!). Et ego Johannes Schutte, clericus Hildesemensis, publicus imperiali auctoritate notarius, quia huiusmodi verborum requisicioni, supplicacioni, produccioni omnibusque aliis et singulis premissis, dum sic [vt] premittitur fierent et agerentur, vna cum dictis testibus presens interfui, videlicet prefato Stenone et honorabili viro domino Petro Cholneri, canonico Scarensi et cancellario domini Scarensis, eaque sic fieri vidi et audiui ideoque in hanc publicam formam propria mea manu scriptam redegi, quam signo nomineque meis solitis et consuetis signaui, rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum; rasuram vero istarum trium dictionum a principio instrumenti numerando in xiiij riga positarum, videlicet: et realiter assignauit, in vicio scilicet erroris, hic approbo.

Brefvet är utfärdadt i vidimation af prosten i Linköping Laurentius Odhonis och erkedjeknen derstädes Johannes, dat. d. 3 Juni s. å.